

Veneti interim in ocio fuere: nam & ipsi validissimam classem, Francisco Bembo Præfecto, expedivere, quam ubi Mantuani agri finibus adverso Padi fluvio attrahi nuntiatum est, confestim Eustachius Ticinensis, adversæ classis præfectus, ex Brixillana statione statuit propinquantibus Veneto occurrere. Negat Picininus ita factum opus esse, sed continuandam censet obsidionem. Ea animorum dissensione alienatis ducibus, Brixillanæ arcis oppugnatio aliquanto postea segnior fuit: atque ita evenit, ut qui ex Brixia ad subsidium missi erant, sine aliquo majore certamine sint in arcem accepti. Eo milite Brixillani freti, sub Venetæ classis adventum oppidum, ejectione hoste, receperunt, in quo ingentem machinarum bellicorumque operum apparatus Philippi duces reliquere. Miles in Eustachium, haud multum supra Casale sedentem, confestim ex Brixello est missus. Sed ille interim ad quartum lapidem stationem habentem Bembus adeptus, continuo suos ad pugnam expediri jubet. Utrunque *galeones* instructi erant, ita enim appellant navigia his similia, quæ Græci *drômones* vocant. Est id genus oblongum, non carinato sed plano ferme alvo, binisque, nonnunquam etiam ternis contegitur tabulatis: ex summo malo denique pluresve, si pluribus opus sit, milites depugnant: si mediis aquis in anchoris stantem, & ad bellum instructum videas, munitissimam arcem dixeris. Octo ex his Bembus in prima fronte artificio modo inter se nexos statuit: cætera classis proximo loco sequi iussa est. Nec hostis pugnam detestavit; sed instructa acie, quatuor galeonibus præmissis, qui secundo fluvio impulsuque remorum acti in Venetas naves cum impetu deferrentur, ex sua statione movit. Illi vero ubi in conspectum venerunt, Venetum prætervecti, proris in hostium puppes obversis, studio properant in pugnam redire, rati fore, ut, suis supervenientibus, si a tergo sollicitatus esset Venetus, qui in prima fronte erant, facile opprimerentur; sed res longe aliter evenit. Nam Bembus prætervectos pro captis ab initio habuit, navesque